



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 134. Quid circa votum Religionis sit notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

Jubilæi, hinc in Bullis Jubilæi & privilegiis Mendicantium expressè solent excipi vòta illa: quoad hæc in omnibus consentit *Illsung* n. 147, attamen rectè addit cum *Sily. Navar. Suar. Sanch. Lug. in Resp. Mor.* L. 6. D. 1. *num.* 4. plus non posse Episcopum, quàm præcisè necessitas præsens exigat, hinc licèt dispensetur ad contrahendum Matrimonium, adhuc obligari vitare peccata contra castitatem: denique addit *Moya D.* 1. q. 1. n. 23. Votum Castitatis vel Religionis emissum à tali in Venerem proclivi, vel cui proclivitas illa supervenit, non esse reservatum Papæ, sed etiam ideo esse dispensabile ab Episcopo, eò quòd certum non sit illud obligare, sed de hoc satis diximus n. 481.

§. 6. Si dispensatio voti castitatis obtenta sit 564 ad effectum ineundi Matrimonii, non ideo votum definit esse reservatum, nèque ideo dispensatur quoad reliqua, nèque etiam ad secundum Matrimonium, si hæc uxor moriatur, quia communiter additur, ut hac mortuâ cælebs maneat, utpote eodem voto obligatus, unde re ipsa manet reliqua partialis materia prioris voti reservata, & mortuâ uxore est tota obligatio prior, uti si quis obstrictus absoluto voto castitatis ducat uxorem & dispensetur ad petendum debitum, non ideo reliquæ partes voti desinunt obligare aut esse reservatæ, sed si uxor ista moriatur, dispensatus obligatur eodem voto omnimodæ castitatis, uti pluribus deducit *Lugo* supra toto Dubio I. Laudabile esse emittere votum castitatis in sæculo, probat fuse *Lesf. in Auct. v. Votum. Casu I.*

Q. 134. *Quid circa Votum Religionis sit notandum.* 565
 R. Seqq. §. I. Ut sit reservatum, debet esse absolutum & perfectura Religionis propriè & simpli-

simpliciter dictæ, unde *Votum Religionis* ab Ecclesia non approbatæ non est reservatum, ita cum communi *Belleg. P. 3. Sect. 13. Quæst. 4.*

566 §. 2. Reservata sunt omnia vota, per quæ quis Religiosus, qualia sunt paupertatis, castitatis, obedientiæ in Religione emissa; item quædam alia vota particularia secundum specialia Statuta quorundam Ordinum, *Suar. Dian. Belleg. supra.*

567 §. 3. Si aliquis continentiam servare non posset, nec daretur recursus ad Papam vel Delegatum, essetque periculum in mora, posset Episcopus in Voto Religionis ineundæ dispensare, secundum dicta n. 563.

568 §. 4. *Votum, quo Religiosus vovet eligere Religionem strictiorem;* non est reservatum quoad circumstantiam strictioris, uti habet communis cum *Sot. Silv. Navar. Ar. Lesf. Sanch. Dian. P. 1. Tit. R. 55. Illsung n. 145,* & dictum est n. 550; nequit tamen irritari à Superiore, uti habet *Busenb. relatus n. 48,* & præter ibi citatos docent *Suar. Laym. Tamb. L. 1. c. 12. §. 5. n. 5,* quia Religiosus quoad hoc subjacet soli Pontifici.

569 §. 5. Probabiliter tenent *Sanch. Fagund. Malde. Dian. Trull. Belleg. supra, Lesf. in Auctario v. Votum. Cas. 3.* *Votum perseverandi in Religione non esse reservatum, sed commutari posse, si quis in Novitiatu experiatur Statum sibi non convenire, nam non est Religionis in se, sed circumstantiæ, quæ non reservatur, secundum dicta n. 550.*

570 Q. 135. *Quid circa Votum trium peregrinationum sit notandum.* R. Hoc unicum, quod *Votum trium peregrinationum non sint reservata, nisi sint emissa devotionis causâ,* *Tamburini Illsung T. 5. num. 145.*

TRACTA